

# HISTORIARUM INDICARUM LIBER DECIMUS.

**A**T Nonnius Acunia cum solennibus cæremoniis & supplicationibus inito magistratu, (is fuit annus apertæ Indiæ trigesimus secundus) novos de more præfectos, ad obtinenda præsidiis maria, destinavit. In iis Antonium Sylveriam cum navibus longis quinquaginta tribus, & Lusitanis epibatis nongentis, e quibus erant fistulatores quadringenti, Cambiam bello urere, atque omni clade vastare jussit. Hectori Sylveriae, ad Arabici freti custodiam, rostratas celiores quatuor, dromones duos, quatuor lembos attribuit. Oræ Malabaricæ, Didacum Sylveriam cum duabus biremibus, dromone uno, sex lembis præfecit. itemque aliis alia munera ex regiis commentariis delegavit. Ab iis vario eventu gestæ res. Antonii Sylveriae præcipuum decus inter omnes fuit. Is, cum ea quam dixi manu profectus ab urbe Goa, Ciaulum tenuit. inde Rainelum Cambaiæ petit infestus. Mahometani oppidum habent ex eorum genere quos Naiteas appellant. Campestris est locus, quatuor circiter a mari leucas, amni adjacens tortuoso, qui, propter tenuitatem, leviora duntaxat navigia patitur. Ager circa frumenti & orizæ ferax, multa insuper in lautiores dapes abundat alite; & incolæ, accipitrum genere, quos vulgo falcones vocamus, aucupium scienter exercent. Oppidum, ædificiis e polito lapide & multiplici contignatione frequens, non modo propter soli ubertatem, sed etiam propter opulenta Sinarum commercia, scatebat ea tempestate omnibus divitiis, & egregiam bello juventutem juxta in terrestres ac navales expeditiones præbebatur Regi. Præcipuum tamen (ut in plana ac fertili regione) robur in equitatu, quo ferme cataphracto, more Persarum, utuntur. & cum nulla pars corporis ad vulnus patet; tum ad ferendum hostem pugione præcincti equites, bina vel terna spicula gestant manu; & præter hæc, ex ephippiis arcus & pharetra suspenditur. Sylveria ad fauces fluminis classe delatus, maiores naves cum ducentis armatis in salo reliquit. Ipse caturibus cum cætera manu subvectus; Surratum oppidum, metu incolarum desertum, ex itinere incendit. ac Rainelani, tum agrestium fuga, tum fumantibus tectis admoniti, quod mœnibus carerent, ad amnis ripam atque ad omnes viarum aditus munitionibus raptim excitatis, majora tormenta & militum stationes opponunt. Inde in Lusitanos, cum ingenti clamore ac tubarum sonitu appropinquantes, horrifica vis telorum emissæ: cæterum propter ipsam navigiorum humilitatem nocuit nemini. Simul, ad prohibendum descensione hostem, equites prodierant circiter quadringenti. hos, præmissa fistulatorum cohorte, Sylveria territos facili negotio intra oppidum repulit. Tum egressi

in